

~~XL~~ XL1.

40

CONIVGIO
FRANCISCI
HILDENSEMI, ME-
DICINÆ DOCTORIS &c.
SPONSI;

ET VIRGINIS
MARGARITÆ, HENRI-
CI GOLDTBECII I. V. D.
& consiliarj Brandenburgici
&c. relictae filiae, sponsae;

AMICORVM VOTA.



BERLINI

EXCUDEBAT NICOLAUS VOLTZIUS.

ANNO

M. D. LXXVII.

37

morū;
Hac
T
H
b
eris &
1776.



CHRISTIANUS

DIETHELMER

DEI

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...



CHRISTIANVS

DISTELMEIER, LAM

PERTI CANCELLARII &c. F. ad

Malsdorff &c. amico summo, felix

Coniugium precatur.



Lare vir, excellis *HILDSÆMI* diuite
cornu

Triplicibus donis, triplicibusq̄ bo-
nis.

Vera *DEI* cultrix *PIETAS* & vera sacrorum,

Ultima cura tua est, primaq̄ cura tua est.

Hanc sequitur *VIRTUS* per amœno splendida cultu,

Principibus, patriæ cara, & amica bonis.

Tertia sed geminas ornat *DOCTRINA* sorores,

Quæ vario passim spargit odore rosas.

Omnia nam *Sophiæ* tibi se penetralia pandunt,

Atq̄ *Machaonia* quicquid in arte latet.

Cum petis astra, tibi *Genius* demissus ab astris

Dicere te vatum more futura docet.

Musica te modulis, te *Musæ* versibus ornant,

Indè tibi lauro tempora cincta virent.

Addo quod ipse diues varijs versatus in oris,

Quæ mentem exemplis erudiere tuam,

A 2

Talia

Talia cum præstes magnis feliciter ausis,
 Debentur meritis præmia digna suis.
 Utq; Deæ tecum tres conspirasse videntur,
 Præmia sic totidem nomine sponsa refert.
 Pro PIETATE tibi datur vnio, MARGARIS, ipsa
 Quam pietas sobolem dixerit esse suam.
 † Alludit ad insignia sponsa. VIRTUTEM colis: Indè tibi tria pocula surgunt †
 Aurea, virtutis præmia iusta tuæ.
 Quod noti fontes DOCTRINÆ & flumina, casto
 Te fouet AURIFLUVUS RIVULUS ille sinu.
 Se benè habet: thalamo semper bona verba fauebunt,
 Cui tantum triplici surgit honore decus.
 Quem PIETAS iungit, cui præfert lampada VIRTUS,
 Prospera MUSARUM concinit ipse chorus.

IOHAN SLETZER
 MED. DOCTOR &c.

Concha velut sitiens rorem sibi captat amicum
 Vere nouo: canisq; impletur anabela pruinis;
 Margaris vnde venit cordi gratissima gemma:
 Sic nuptam sitiens thalami dulcedine captus
 Consortem vitæ querit sociamq; laborum
 Quam pietas ornet, morum & commendet honestas.
 Ipse opifex rerum, magni DEVS arbiter æui
 A quo fonte bonum fluxu venit omne perenni,
 Vota valere iubet, simul & pia cæpta secundat.

Rem

Rem probat exemplum multis è millibus vnum:
Namq̄ salutifera qui clarus Apollinis arte es:
Margariden FRANCISCÆ tibi diuinitus aptas
In vitæ comitem, cumq̄ hac sociare pudorem
Dulce putas, licito tandem plectus Amore,
Indè vt viuificas possis producere gemmas.

Gratulor hunc thalamum tibi, & hic pia vota licenter
Ter repetita paro. Casti Deus autor amoris
Det precor vt cœptis sint tempora prospera vestris.

O fortunatum nimium nimiumq̄ beatum,
Cui datur à Domino prudens, pia, casta puella,
Ipsa corona viri est, decus ac tutela mariti.

Viuite felices longos concorditer annos
Nulla querela thorum, discordia nulla molestat,
Mensibus exactis fiat de virgine mater,
Atq̄ patrem referat FRANCISCUS paruulus ore:
Vno sic fiet multo preciosior auro.

VRBANVS PIERIVS THEOLOGICÆ D.

De primo & nouo amore sponsi.

Gratuler, an doleam FRANCISCÆ? Cupidinis arcu
Te grauter lesum nuncia fama refert:
Sisq̄ licet magnus diuini in Apollinis arte,
Posse tamen medicam non adhibere manum.

A 3

Hic

Hic tibi condoleo. Quid enim iuuat esse peritum
Artis, si docta plus valet arte malum?
MARGARIS in conchis cœlesti è rore creatur
Concipiunt quando vere tepente sitim:
Sufficit hæc cordi vires & toxica pellit,
Ac bona letiferi fit medicina mali.
Hanc rutilo obductam prius auro (quod prope Sueuum
AUREUS in nitido RIVULUS amne vehit)
Consilio matris pharetratum nuper Amorem
Vulneribus dicunt applicuisse tuis:
Ut benè nunc habeas, & plus tibi MARGARIS vna
Quàm tibi quæ scribis pharmaca, profuerit.
Gratulor hic FRANCISCÆ tibi. Sic ferre deorum
Vna eademq; manus vulnus opemq; potest.

VOTVM EIVSDEM.

Sit precor & vobis, vt MARGARIS vnio dicta est,
Vna fides, vnusq; torus, mens vna, cor vnum,
Vnus amor, ratio vna, caro vna ac vna voluntas,
Et pietas vna, vna salus, vita vna beata.

M. P. E.

M. PETRVS STREVB
BERVS THEOLOGVS,
affinis sponſi.

Nomen vtrumq; tuæ ſponſæ, doctiſſime ſponſæ,
Omina letiferæ proſperitatis habet.

Nam proprium, Gemmam, ſignum virtutis adumbrat,
Auri, cognomen, largæ fluentia, refert.

Nil igitur deſit cui Gemma redundat & aurum,
De quo nominibus ſpem tibi ſponſa facit.

Hac vnitus, eris velut vnio, quam capit aurum,
Quamq; manus digito principis alma gerit.

O te felicem ſponſum, quem Fata beârunt
Proſpera, tam magno munere, tamq; bono.

M. LAVRENTIVS
CREIDIVS, SCHOLÆ
BERLINENSIS
PRORECTOR,

HIPOLYTI ſoboles FRANCISCVS clara parentis
Indolis in cunis ſigna ſecunda dabat.

Ingenium Pallas mirata fouebat alumnum;
Oreſq; ſpirantes, æquore Nata, ſales.

Hæcq; ſuo decorem regno gratatur, & illa;
Hæcq; ſibi palmam poſcit, & illa ſimul.

Aſt ubi ſuccreſcens pueriles vicerat annos;
Idalia ſpretæ, Pallada doctus amat.

to

Indoluit factis, sociæq; inuidit honorem,
Quæ Dea solliciti nomen amoris habet.
Ne tamen imprudens collectas proderet iras:
Armigeræ tales protulit ore sonos:
Non equidem inuideo, miror magis, inclyta Diua,
Figere cur dubio Marte trophæa pares.
Te latet imperij vis nostri: Solis ab ortu,
Solis ad occasum sceptrâ superba gero.
Hannibal, Æacidae duri, Laërtius heros,
Subiacet imperio Iuppiter ipse meo.
Quid nisi stultitia est me contra bella mouere?
Heu mihi quas pœnas mox puer iste dabit.
Dixit, & à volucris comitata cupidine, missis
Fimibus Arctois, alta cythera redit:
Atq; graui celeres ibi tingit amore sagittas,
Quæis iuuenem tacitus nempe cupido petat.
Pallas at insidias sentit, FRANCISCÆ, paratas:
Et tua Pieria pectora fronde tegit.
Scilicet Aonidum detentus amore sororum
Irrita deridet tela cupido tua.
Ergo puer veniens, telumq; imbelle sine ictu
Coniiciens, risus causa dolenda fuit.
Heu mihi quàm doluit tenerorum mater amorum,
Dum nil posse videt tela nocere sua.
Gaudia FRANCISCUS sed contrâ mille mouebat
Aonio vigili sedulitate choro.

Leta

Leta triumphabat cerebro Iouis edita Diua?
Gaudia ducebat turba Nouena simul.
Non tulit hanc speciem Venus aurea passa repulsam,
Arteq; victa, noua vincere fraude parat.
Protinus ablegat Maia genitrice creatum,
Qui FRANCISCÆ tibi talia dicta ferat:
Quid iuuat Aonidum iuuenis, dilectæ cateruæ
Obscurum in patria delituisse diu?
Nullus honor studijs, non Musis gloria restat
Hic ubi barbaries sceptrâ nefanda tenet.
Est locus, Ausoniam culti dixere coloni:
Hic studijs tolles præmia digna tuis.
Lauriger ipse Deus gaudet regione morari:
Ornat et ex meritis qui sua castra colunt.
Martagon hic floret grassantibus utile morbis:
Hic buphtalmon adest, Atticus aster adest.
Nec minus Ausonia moueat te Gallia; digna
Dona feret studijs utraq; terra tuis.
Dixit, utramq; placet FRANCISCO visere terram,
Artibus ut redeat cultior indè bonis.
Sed nurus Assarici non hoc te fine vocari
Curans, insidias artis honore tegit.
Munera nam velut his Cereris felicius oris
Proueniunt, alibi dona Lyæe tua:
Sic Venus Hesperiam magis aptam sperat amori,
Et putat hanc iuuenem fallere posse uia.

AST

B

*At velut ingentem quæ surgit in æquore rupem,
Sollicitat frustra murmur inane Nothi:
Illa sed innitens firmo fundamine flatus
Horrisoni seuas despicit alta minas:
Haud secus HIPPOLYTI proles præclara fugabat
Tela, quibus studijs Cypria sæpe nocet:
Itala nulla potest, nec Gallica virgo mouere
Pectora Pierio casta dicata choro.
Gaudent constanti Musæ cultore sacratæ,
Et iuuenis lauro tempora docta premunt
Hunc mitra insignem tereti, fluxoque cucullo
DOCTOREM Aonidum præses Apollo creat.
Dotibus his igitur FRANCISCUS onustus abibat,
Tutus ab insidijs Cypria magna tuis.
Ecce sed à tergo sequitur non passibus æquis
Impiger in toto qui volat orbe puer.
Et iam Marchiaca clarens FRANCISCUS in aula
Arte Machaonia nomina clara tenet:
Ambulat Arctos Nymphas securior inter,
Nescius immineant quam cita tela sibi.
Nam dum fortè canens percurrit pectine nervos,
Regia vicinas arx ubi spectat aquas:
MARGARIN HEINRICI præclaro sanguine natam
GOLDTBECI gressum fortè mouere videt.
Pulchrior insigni lucebat corpore virtus:
Pallada FRANCISCUS credit adesse suam.*

Sen.

Senserat hoc summa qui constitit aliger arce,
Et duo de pharetra spicula promit, Amor.
His FRANCISCÆ tuum transfigit pectus anhelum:
Clamq̄ nouas mira suggerit arte faces.
Hinc tu vulnus alis, nullis sanabile succis:
Vulnus Amore pari faucius ergò leua.

Salue! læta dies, qua victa Cupidine Pallas
Idaliæ didicit succubuisse Deæ.
Nam nisi legitimis edantur pignora lectis;
Qui colat armigeram Pallada nullus erit.
Pallade pro ficta, te viuida MARGARIS ulnis
Excipiet casto, sponse beate, thoro.
Dicitur in conchis nasci preciosa marinis,
Auguror hoc nomen, MARGARIS, omen habet.
Exprimit hæc gemmam tam re quam nominis vsu,
Quæ venit in thalamos sponse puella tuos.
Quin superat longè reliquas hic vnio gemmas,
Cui pietas formæ iuncta decenter adest.
Digna igitur merces studiorum, digna laboris,
In thalamos intrat, Numine dante, tuos.
Ite pares animis felici sidere iuncti:
Nil vos à nexu mors nisi sera trahat.
Edite legitimi dulcissima pignora lecti
Quæ referant matrem moribus, arte patrem.

Musæ Lauro Coronant.

B 2

BLASI.

BASILIVS HABEL,
GLACENSIS, LL. S.

Semper opus coeptum conuiuia vocatus IESVS,
Magna licet res sit, post pia vota iuuat.
Inuitatus adest, à nobis postulat ad se
Ardentes fundat quilibet ore preces.
Nam praesens celebrata Cana connubia dono,
Esse sibi curae tale probauit opus.
Congressus semper dignatur adire pudicos,
Cui sociæ vitæ fœdera casta placent.
Deficit interdum vinum lymphisq̄ referti.
Ærumnas potius quàm bona sufferimus.
Sunt nobis curæ, sunt & mala multa voranda:
Aufertur vinum, suppeditantur aquæ.
Quis verò eripiet nos à formidine mortis,
Humanum quando deficit auxilium?
Id faciet solus quandò inuitatur IESVS:
Sicut & in vini pocula mutat aquas:
Sic quoq̄ conuertens nostros in gaudia luctus,
Largitur pacem, letificosq̄ dies.
Ergò aderit praesens CHRISTVS tibi SPONSE vocatus,
Pacis & optatæ munera leta feret.
Dum tibi connubio sociata & amore iugali,
Excellens forma, Sponsa pudica, datur.
Quæ datur ex animo reueretur honore parentem
Et CHRISTVM vera scit pietate sequi.

Teq̄

*Teq̄ colet donec vitalis rexerit artus
Spiritus, & viuus nutriet ossa calor.
Hac Medico Medicina datur, dūm languet amore,
Quem probat ætherea sanctus ab arce Deus.
Præmia nimirum quæsiuit tanta laboris,
Præmia quæ gemmis splendidiora putat.
MARGARIS & virgo multis virtutibus aucto
Addita, quo plenè gaudia promat habet.
Omnia iam sponsis dentur felicia, dentur
Gaudia, sit dulci prole referta domus.*

**GEORGIUS NIGRI
NVS LEORINVS SILE-
SIUS, GRATITUDINIS
ergo.**

O *Quàm multoties hunc efficit esse beatum
Diva volubilibus quæ solet ire rotis:
Quem summi pia cura Dei complectitur, & quem
Inclyta magnanimi Principis aula fouet.
O quoties igitur mihi diceris esse beatus,
FRANCISCÆ, Aōnij fama decusq̄ chori:
Cui simul (hæc animi nam nobilitate mereris)
Contigit, & mundo, & posse placere Deo.
Namq̄ Machaonia præterquam nobilis artis
Quod celebris celebri Doctor honore viges:*

B 3

Quodq̄

Quodq̄ tibi sese & natos, sua pignora, credit
 MARCHIO, qui nostram nunc moderatur humum:
 Lauro etiam viridi cinxit tua tempora Phœbus,
 Hæc sit ut æternum laudis in orbe decus,
 Ornat at eximie CHRISTVS te munere Sponsæ,
 Hæc sit ut æternum laudis in æde decus.
 Laurus enim nullo velut est violabilis ictu,
 Cum grauis æthereo personat axe fragor:
 Sic pia non ullo est coniunx violabilis ictu,
 Cum grauis aduerso personat axe fragor.
 Vt viret æterno formosæ frondis honore,
 Laurus, & à nullo læditur vsq̄ gelu:
 Sic viret æterno formosæ prolis honore
 Vxor, & à nullis læditur vsq̄ malis.
 Vt sacra suaueolum Laurus prætendit odorem,
 Et caput & cerebrum roborat acer odor:
 Sic pia suaueolum coniunx prætendit amorem,
 Et mentem recreat coniugis almus amor.
 Laurus vt optatam præbet sub frontibus vmbra,
 Grata quies fessis, grata medela viris:
 Sic animi coniunx præbet sub frontibus vmbra,
 Grata quies curis, grata medela tuis.
 Sed neq̄ si magni mihi lingua diserta Maronis,
 Peligni vel sit Musa benigna senis:
 Persequar eximie pulcherrima munera Lauri,
 Perpolit Aonijs quam pia cura DEI.

Sic

*Sic neq̄ formosæ pulcherrima munera Sponsæ,
Perpolit æterni quam pia cura DEI.*

*Idcirco geminis quia te complectitur alis
Alma Dei bonitas, gratia, cura, fauor.*

*Iure Deo meritis submisso pectore grates,
Gratia ne meriti surda sit ulla, refers.*

*Et nos iure tibi gratamur pectore toto,
Optamusq̄ tuo prospera fata thoro.*

*Vtq̄ laborantem (quid enim tibi plenius optem?)
Aura iuuet dempto fine secundam ratem.*

A 2490

ULB Halle

3


003 485 986



sb

kom







~~XL~~ XL1.

40

CONIVGIO
FRANCISCI
HILDENSEMI, ME
DICINÆ DOCTORIS &c.
SPONSI;
ET VIRGINIS
MARGARITÆ, HENRI
CI GOLDTBECII I. V. D.
& consiliarij Brandenburgici
&c. relicte filie, sponsæ;
AMICORVM VOTA.
BERLINI
EXCUDEBAT NICOLAUS VOLTZIUS.
ANNO
M. D. LXXVII.

37

